



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Cap. IV. De Profeßis trium Votorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

## CAPUT IV.

## De Professis trium Votorum.

## SECTIO I.

De iis qui ad hanc Professionem admitti  
possunt : *¶* de Admissione.

Quinam ex  
Constitutioni-  
bus.



1. Rater hos hactenus descriptos Professos, nonnulli admitti possunt ad Professionem trium tantum Votorum solemnium (omisso nempe quarto de Missionibus) raro tamen, & non sine causis peculiaribus aliqujus momenti : quales sunt ipsorum devotio ; personarum qualitas ; ut qui bene meriti sunt, & valde devoti ; quamvis minori doctrina, & concionandi aptitudine præditi, quam nostrum Institutum in Professis quatuor Votorum requirat. Ordinariè tamen sufficientiam in literis, quæ saltem ad Confessionis munus bene obeundum satis sit, habeant oportet, aut alia egregia Dei dona : ex quibus quod studio Theologiæ deest, compensari potest. "

2. Adnumerantur his ; qui non attingentes in Theologicis mediocritatem, insignes

" Jul. III. pag  
68. & Ex. c. 1.  
D. & P. 5. c. 2.  
S. 3. & B. & C.

Alii ex decre-  
tis Congregatio-  
num.



signes fuerint in literis humanioribus ; & plures annos in iisdem docendis strenuè laboraverint : & qui utiliter , apud Indos operam navantes , eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederint : ita tamen , ut non communiter , ac faciliè cum omnibus dispensetur. Admittendi præterea ad hunc Gradum , prævio tamen consensu P. N. qui jure Majoratus in Hispania gaudent : si qualitas Majoratus ejusmodi fuerit ; ut firmitati illius abdicationis per sacrum Ordinem caveri non possit. Sed hujusmodi homines , sine facultate P. Generalis in Societatem non recipiantur : iisque donis ornati sint ; ut spem magnam præbeant , se post biennium probationis fore tales ; quales nostræ Constitutiones requirunt ; ut ad Professionem trium Votorum admitti queant.

3. Alioqui Tempus ordinariæ emit- tendæ hujus Professionis non erit ante septem annos ; quibus Promovendi fuerint noti in Societate ; & certam sui talenti , ac virtutum satisfactionem non medio- crem in ea præbuerint.

C. 6. D. 15.

p C. 5. D. 18.

Tempus prære- quisitum.

q P. 5. c. 2. §. 3.





## S E C T I O I I.

De obligationibus, & jure horum  
Professorum.

*Effectus hujus  
Professionis.*

I. **D**E effectibus, qui resultant ex hac Professione, & Votis simplicibus ei superadditis nihil hic peculiare addendum: cum iidem omninò sint, atque explicati proximè in Professis quatuor Votorum; demendumque solum, quod ad Missiones Pontificias pertinet; cum vi peculiaris Voti ad illas non obligentur Professorum Votorum.

*Quatenus reli-  
quis Professis  
præesse possint.*

2. Ceterum non possunt ordinariè præesse Professis quatuor Votorum; ita ut supremum in Domibus Professis, aut Provinciis regimen exerceant: quamvis mortuo Præposito, nec nominato Superiore Domus Professæ, ejus curam suscipere debet Minister, licet non Professus quatuor Votorum; & à reliquis etiam Prælaturis non excluduntur. r

r P. 8. c. 3. A.  
& C. 1. D. 42.  
& C. 3. D. 21.  
& C. 8. D. 20.

*Jura in Congre-  
gationibus.*

3 Non habent autem vocem activam, aut passivam in electione Generalis, & Assistentium. Possunt tamen utroque suffragio frui ad reliqua in ipsa Congregatione Generali tractanda, s In quam, vel etiam

s P. 8. c. 3. A.



etiam in Provinciales ingressi, quocumque titulo, sedere debent, & sententiam dicere post Professos quatuor Votorum, & ante reliquos. †


† Form. Con. Gen. §. 60. & Con. Prov. §. 15.

CAPUT V.

De Coadjutoribus tam Spiritualibus, quàm Temporalibus formatis.

SECTIO I.

*Quinam formandi hoc Gradu.*

1.  xplicato Supremo Professorum Gradu, descendendum est ad alium proximè inferiorem Coadjutorum; ad quem admissi, Coadjutores formati dicuntur: Coadjutores quidem, quia vel in Spiritualibus, vel in temporalibus ministeriis Societatem adjuvant: Formatì verò, quia habent ultimam formam, & terminum sui Religiosi status. <sup>a</sup>

*Cur dicantur Coadjutores formati.*

<sup>a</sup> Paul. III. p. 30. & Greg. XIII. p. 127. & Ex. c. 1. §. 9. & c. 6. §. 1.

2. Ut quis igitur in Coadjutorem formatum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de ejus vita, deque bono exemplo, & talentis ad eam juvandam: <sup>b</sup> & de

*Quinam formandi.*

<sup>b</sup> P. §. c. 1. §. 4.